

resolutionum, quibus alias particulas sibi inutiles expellant; atque hujusmodi continua chimica peragitur nutritio, sine qua vita corporea sustentari nequit. Hæc porro tanta activitas chimica ita exercetur a vivente, ut ipsum non dissolvatur ad nova composita chimica constituenda, sed semper in sua specifica natura remanens alia corpora, quibus alitur, in suam substantiam transformet (1).

8.<sup>o</sup> reproductione,

8.<sup>o</sup> Reproductione. Habent namque viventia virtutem in se producendi germina, unde alia atque alia intra eandem speciem individua multiplicentur; corpora vero inanimata carent penitus ejusmodi virtute (2).

9.<sup>o</sup> actionibus tuto genere diversis.

9.<sup>o</sup> Denique actionibus diversissimis, quarum nullum cernere est vestigium in corporibus inorganicis: tales sunt functiones vegetativæ, nutritio, augmentatio et generatio vel reproductio, viventibus omnibus corporeis communes; sensationes et motus locales proprii animalium, et præter hæc omnia intellectiones et volitiones in homine. Hæ omnes operationes, si attente perpendantur, tales deprehenduntur, ut ab interno principio procedant, et in eodem subjecto, unde procedunt, recipiantur; sunt videlicet actiones immanentes.

8. PROPOSITIO 2.<sup>a</sup> Differentia corporum viventium a non viventibus non est utcumque accidentalis, sed specifica et substantialis.

Corpora viventia à non viventibus essentialiter discriminantur.

Hæc propositio facile colligitur ex præcedenti. 1.<sup>o</sup> Tanta enim sunt discrimina externa, quæ nuper observavimus,

(1) « Sous le rapport de leur état intérieur, les corps vivants diffèrent essentiellement des corps qui ne vivent pas. Chez ces derniers, les molécules constitutives sont dans un état de repos chimique; ce repos est pour l'agrégat une condition de durée, et cet agrégat n'a en lui aucune cause de destruction nécessaire. Dans les corps vivants, au contraire, le changement est continu, nécessaire; certaines transformations de matière constituent pour eux une des conditions d'existence et des forces chimiques sont toujours en jeu; l'Être abandonne au monde extérieur une partie de ce qui est en lui; il s'approprie en même temps de la matière provenant du dehors, et il provoque dans ces acquêts un mode d'arrangement moléculaire déterminé. » Milne-Edwards, *Leçons sur la Physiologie et l'Anatomie comparée*, tom. 14, pag. 254. Paris 1880, 1881.

(2) Cfr. Fréault, *Op. et loc. cit.* pag. 134 y 135.

inter viventia et non viventia, ut amens sit profecto, quæ ea in diversis prorsus ordinibus rerum non collocaverit. Quæ vero talia sunt, specificè ac substantialiter differant, oportet. 2.<sup>o</sup> Præterea ut ex superius assignatis discriminibus patet, multo magis distant a non viventibus viventia, quam vel alia ab aliis simplicia, vel a simplicibus composita. Atqui substantialem ac specificam diversitatem inter varia simplicia et inter composita simpliciaque in *Cosmologia* demonstravimus. 3.<sup>o</sup> Denique ex functionibus vel operationibus viventium propriis, quas summam enumeravimus in 9.<sup>a</sup> *differentia*, sequitur id proprium esse viventium, ut possint seipsa movere ultra suum statum connaturalem, vel possint elicere actiones immanentes, prout magis declarabitur, cum notio vitæ declaranda erit. Entia vero non viventia carent ejusmodi actionibus immanentibus. Atqui entia, quæ interno gaudent principio immanentium operationum, in alio prorsus ordine sunt, ac proinde essentialiter discrepant ab entibus tali principio carentibus. Ergo... Plura de his inferius.

Atque hæc causa est, cur vel ipsi naturalium scientiarum cultores, in atomismum cæteroquin propensi, doctrinam de substantiali viventium a non viventibus discrimine, sæt frequenter amplectantur, ipsa veritatis evidentiâ convicti. Quamquam non desint etiam multi, qui substantialem hanc distinctionem deletam vellent, potissimum inter plantas et materiam brutam, quasi non aliunde miranda illa vitæ opera proficiscerentur, quam ab ipsis viribus physycis et chemicis materiæ inorganicæ diversimode temperatis. Verum quia fusc de his disputatum in *Cosmologia* est, et iterum recurret mox occasio loquendi, plura nunc addere supervacaneum duco.

## ARTICULUS II.

### Declaratur notio vitæ.

9. Innumera circumferuntur notiones vitæ a nobilioribus Physiologiæ ac Biologiæ scriptoribus, quarum cum præcipuas retulisset expendissetque Claudius Bernard, conclusit tandem idoneam vitæ definitionem reddi non posse (1): nos

(1) Vide *Revue scientifique*, 1.<sup>er</sup> Décembre 1877.



rejectis prius recentiorum tentaminibus, S. Thomæ et Scholasticorum sapientiam tuebimur.

§ 1.—DEFINITIONES RECENTIORUM SCRIPTORUM EXPENDUNTUR.

Falsæ quædam  
vitæ  
definitiones,

Georgio Ernesto Stahl vita «nihil est aliud formaliter, quam conservatio corporis in sua mixtione corruptibili sine omni corruptionis istiusmodi actuali eventus» (1). Lamarckus vitam definit «eum rerum statum, qui permittat in illis motus organicos»; «hi vero motus, inquit, qui constituent vitam activam, proficiscuntur a causa quadam excitante, quæ illos provocat» (2). Secundum Bichat vita est «complexio functionum, quæ morti resistunt» (3). Richerandus vitam reposuit in «collectione phænomenorum, quæ sibi succedunt in corporibus organicis intra limitatum temporis spatium» (4). Cuvier voluit vitam esse «facultatem, quam habent certæ combinationes corporeæ, ut durent certo tempore ac sub certa forma, jugiter attrahentes ad suam compositionem partem substantiarum circumstantium, eamque efficientes partem propriæ substantiæ» (5). Simili modo definivit vitam Ampère (6). Ex Beclardo, a quo non multum ablundum Littré et Dugès, «vita est organizatio in

(1) Stahl, *Theoria medica vera*, pag. 361. Halæ 1708.

(2) «La vie, dans les parties d'un corps, qui la possède, est cet état de choses qui y permet le mouvements organiques, et ces mouvements qui constituent la vie active, résultent d'une cause stimulante qui les excite». Apud Frédault (*Anthropologie*, pag. 120), et Beauvais (Op. cit. pag. 24).

(3) *Recherches physiologiques sur la vie et la mort*, Prem. part., art. 1.

(4) Richerand, *Nouv. Elem. de Physiolog.*, tom. 1, Proleg.

(5) «Si pour nous faire une juste idée de l'essence de la vie, nous la considérons dans les êtres, ou ses effets sont les plus simples, nous nous apercevrons promptement qu'elle consiste dans la faculté qu'ont certaines combinaisons corporelles, de durer pendant un temps et sous une forme déterminée en attirant sans cesse dans leur composition une partie des substances environantes et en rendant aux éléments des proportions de leur propre substance». Cuvier, *Le regne animal distribué d'après son organisation*, Introduction, pag. 13.

(6) *Essai sur la philosophie des sciences*, tom. 1, pag. 219, edit. 1834.

actione» (1). Lewes et Herbertus Spencer malunt vitam constituere in quadam serie definita mutationum, quæ in corpore contingunt (2). Berardus, a quo vix differt Robin, hanc tradit definitionem vitæ: «Vita est modus existendi proprius entium organicorum» (3). Blainville hanc aliam: «Vita est motus internus compositionis ac resolutionis, generalis simul et continuus» (4). Küss denique vitam esse pronuntiat, «quidquid nec per Physicam nec per Chemicam explicari potest» (5).

10. Hæ tamen aliæque id genus definitiones placere nobis nequaquam possunt. 1.<sup>o</sup> In primis enim fere communi

reijciuntur,

(1) «La vie est l'organisation en action». Béclard. «La vie est l'état d'activité de la substance organisée». Littré. «La vie, est l'activité spéciale des corps organisés». Dugès, *Traité de Physiologie comparée*, tom. 1, pag. 3, edit. 1838.

(2) «La vie est une série de changements définis et successifs, à la fois de structure et de composition, qui se présentent chez un individu sans détruire son identité». Lewes apud Beauvais *ibid.* «La vie est la combinaison définie de changements hétérogènes, à la fois simultanés et successifs, en correspondance avec des coexistences et des successions extérieures» Spencer, *Principes de Biologie*,.... traduit de l'anglais par M. E. Cazelles, tom. 1.<sup>er</sup> prem. part. chap. 5; quam definitionem fuisse *ibidem* et in cap. 4, explicat. Cfr. *idem* Auctor, *Premiers Principes*, num. 25, Paulo brevius vita ex eodem scriptore est: *accommodation (adaptation) continue des relations internes aux relations externes*. *Principes de Biologie*, loc. cit. cap. 5, pag. 96.

(3) Apud Beauvais, *ibid.* «La vie est, inquit Robin, la manifestation des propriétés inhérentes et spéciales à la substance organisée seulement». *ibid.*

(4) «La vie est le double mouvement interne de composition et de décomposition à la fois général et continu». Blainville apud Beauvais, *ibid.*

(5) «La vie est tout ce que ne peuvent expliquer ni la physique ni la chimie». Küss apud Beauvais, *ibid.*

Omitto vagam illam definitionem humane vitæ dumtaxat propriam, quam proposuit Lordat: «La vie est, l'alliance temporaire du sous-intime et de l'agrégat matériel, alliance cimentée par un évènement ou cause de mouvement dont l'essence est inconnue». (Apud Frédault et Beauvais locis citatis). Nec minus vage definit vitam Burdach: *la vie est l'équation de l'univers*. Quædam aliæ definitiones videri possunt apud eosdem scriptores, et apud Geoffroy S.<sup>r</sup> Hilaire (*Histoire naturelle générale des regnes organiques*, tom. 2, chap. 4, pag. 95 seqq. Paris, 1850), et Cl. Bernard (*Revue scientifique*, 1.<sup>er</sup> Décembre, 1877).



hoc vitio laborant, ut iisdem vita dumtaxat vegetativa describatur, prætermissa penitus vita intentionali, quæ in cognitione et appetitione sita est, multumque vegetativæ præstat. Atqui perperam vitæ nomen et conceptus ad solam vegetativam coercetur. Ergo rejiciendæ sunt prædictæ definitiones, saltem ex hoc capite, tanquam omnino insufficientes et obiecto definiendo minime adæquatæ. Sane communis hæc vox et persuasio est tum virorum sapientium totius antiquitatis tum vulgi omnium temporum, ut actus cognitionis et appetitionis in vitalium numero sint habendæ. Itaque tolerari nequit, ut recentiores absque ulla solida ratione velint nomina rerum et notiones innovare ac perturbare. 2.<sup>o</sup> Cum potissimum ratio contrarium persuadeat. Quis enim neget proprium esse viventium cogitare, ac sentire? lapides profecto non cogitant, nec sentiunt, neque ullum aliud genus inanimatorum entium; neque vero ipsa animata sentiunt, aut cogitant, nisi quamdiu vivunt. Atqui nec cogitare nec sentire est vitam vegetativam vivere, prout est apud omnes in confesso, patetque in nobis etiam ex ipso testimonio conscientiæ. Ergo fateri necesse est cogitationem ac sensationem esse genera vitæ distincta a vita pure physica et vegetativa; ideoque vitam, generatim consideratam perperam definiiri conceptu, qui solam vegetationem comprehendat. 3.<sup>o</sup> Denique idem patet ex vita Dei et substantiarum spiritualium. Deum namque vivere certo certius est, ipsaque Fide divina novimus. At nefas est Deo vitam vegetativam asserere, utpote quæ exerceri sine corpore non potest. Ergo vita non est in sola vegetatione, sed longe latius patet. Maneat itaque definitiones, quæ solam vitam vegetativam expriment, veras vitæ generatim sumptæ definitiones esse non posse. Et hæc quidem valeant de universis illis vitæ notionibus, quas ex recentiorum scriptorum operibus retulimus.

ac nominatim  
definitio  
Stahlii,

Ut autem aliquid de singulis innuamus; 1.<sup>o</sup> definitio Stahlii æque potest quadrare in quodlibet compositum chemicum plus minus stabile, dum durat ejus compositio, ut per se constat: itaque latius patet re definienda. Præterea sub ejusdem amplitudine definitionis concluduntur etiam cadavera, quæ vel divinitus per miraculum vel naturaliter

per aromata aliæ præsidia naturæ liberantur a corruptione; siquidem omnia illa verissime continent corruptibilem mixtionem, quæ tamen absque omni corruptionis istiusmodi actuali eventu conservantur (1).

Dices, nec cadavera nec mixta inorganica dici posse viventia, quamvis actu incorrupta conserventur; propterea quod non conservantur per ea media et instrumenta, per quæ conservantur illa, quæ vere vivunt. Hæc enim in suo esse permanent incorrupta per «secretiones perpetuas et excretiones tempestivas materiarum non solum inutilium, sed etiam nocivarum»; quæ secretiones sunt «ultimum et magis immediatum instrumentum vitæ (2)»; quare corpora viventia non aliter conservantur, quam «per materiarum sensim fatiscientium perpetuam remotionem... et in locum harum decedentium novam receptionem et admotionem recentium, quam nutritionem vocamus», quemadmodum docet ipsemet Stahl (3), et communiter Physiologi.

Respondeo 1.<sup>o</sup> Ergo vita formaliter considerata non consistit in eo solum, in quo eam reposuit Stahlius in sua definitione; sed adjungere præterea necesse esset, et exprimere modum et instrumentum, quo conservatio viventis peragitur. Secus enim nihil dicitur, quod nequeat pariter in non viventibus reperiri.

Respondeo 2.<sup>o</sup> Omnes illæ operationes, quas instrumenta vitæ nominat Stahl, possent etiam extrinsecus ab aliquo

(1) Vide passim Physiologos, ac nominatim Milne-Edwards (*Leçons sur la Physiologie et l'Anatomie comparée*, tom. 14, 256, 257). Pasteur (*Nouvel exemple de fermentation déterminée par des animalcules infusoires pouvant vivre sans gaz oxygène libre. — Examen du rôle attribué au gaz oxygène atmosphérique dans la destruction des matières animales et végétales après la mort. — Recherches sur la putrefaction*, apud *Comptes rendus de l'Académie des sciences*, 1836, tom. 56, pag. 420, 734, 1189 seqq.), et Denys Cochin (*L'évolution et la Vie*, chap. 9), ubi probant cadaveris corruptionem unice deberi actioni insectorum et microscopiorum animalculorum, quæ proinde si aptis remediis præpediatur, integer servari poterit organismus mortuorum corporum.

(2) Stahl, op. cit. pag. 76.

(3) Stahl, loc. cit. pag. 562. Vide apud cl. P. Liberatore, *Composto umano*, cap. 2, art. 7, num. 66 et 68.



alio ente fieri in corpore, v. g. a Deo vel ab angelo. Quæro ergo, num eo in eventu vere vivere dicendum esset corpus. Affirmabis profecto ex adversarii nostri doctrina. Atqui tamen in secretionibus eo pacto per actionem externi agentis obtentis nullum reapse genus operationum adesset in tali corpore diversum ab operationibus, quæ etiam cernuntur in quibusvis corporibus non viventibus. Videlicet omnes illæ secretiones essent actiones pure transeuntes; actiones autem ejusmodi non superant conditionem inorganicæ materiæ. Itaque donec innuatur in definitione vitæ aliquid, quod entibus non viventibus, nullatenus conveniat, nec convenire possit, vera vitæ ratio non satis declaratur.—**Respondeo**

3.<sup>o</sup> Quamvis operationes illæ seu immediata instrumenta vitæ, quemadmodum vocantur a Stahl, sint operationes vitales, quando ab intrinseco principio proficiscuntur; nihilominus non consistit in illis absolute ac præcipue vitæ etiam vegetativa: sunt enim dumtaxat vitæ *in actu secundo* seu effectus vitæ, quæ supponunt vitam *in actu primo* seu principium ipsum substantiale viventis. Et sicut generatim loquendo aliud est substantia rei et aliud operatio; ita etiam hic aliud est ipsa vitæ substantialis et aliud operationes vitales. Ac bene fieri potest, ut aliquid vere *vivat*, vereque *non sit mortuum*, quamvis ob accidentale aliquod impedimentum vitæ illius, nempe substantialis, nullo signo vitalis ullius operationis extrinsecus manifestetur (1). Quamobrem hoc aliud in Stahlia definitione vitium notare licet, quod non distinguit vitam substantialem ab accidentali.

Lamarcki,

2.<sup>o</sup> Lamarckus vitam declarat per ordinem ad motus organicos; verum donec aperiat, quid nomine motuum organicorum intelligat, res in incipiti manebit. Nam motus organici primum possunt esse vel extrinsecus in organo recepti, vel ab organo ipso immanenter eliciti: at primi nequeunt esse vitales, utpote qui æque convenire possunt corporibus inorganicis. Deinde ipsi etiam motus immanentes, quamvis vitales sint, possunt tamen esse vel locales vel non locales: et si nomine motuum Lamarckus intellexit locales,

(1) Vide fuse atque eleganter de his disserentem cl. P. Liberatore, oper. nuper citat., cap. 2, art. 7.

prout solent intelligere recentiores scriptores; definitio adæquata non est, quia ultra locales distinguendi sunt alii motus vitales. Denique in ultimis verbis non declarat idem scriptor, qualenam debeat esse principium vel causa motuum organicorum, ut sint vitales, utrum videlicet debeat esse ipsi subiecto intrinsecum, an vero possit quoque esse extrinsecum.

3.<sup>o</sup> **Definitio Bichati** rem declarat per privationem, quæ vicissim per oppositam sibi positivam formam exponenda est. Mors quippe privatio vitæ est, nec quid sit, intelligi potest, nisi per ordinem ad ipsam vitam. Enimvero quomodo scies, quid sit cadaver, aut quid sit mors, si quid sit vivere, ignores? Quod si reponas, mortem in definitione Bichati accipi generatim posse pro corruptione, nihil speciale in ea continebitur, per quod viventia a non viventibus discriminentur. Adde, quod etiam in hac definitione vitæ substantialis præmittitur, et sola accidentaliter utcumque designatur. Denique, ut notant quidam insignes Physiologi (1), definitio ac doctrina Bichati supponit esse inter principium vitæ viresque physicas et chemicas naturæ luctam quamdam et concertationem, corpusque organicum tamdiu vivum perseverare, quamdiu in hoc certamine principium illud actionem virium vincat, ac superet. Atqui doctrina jam constans inter Physiologos luctam ejusmodi rejicit, statuitque e converso eam concordiam, secundum quam vires physicae et chimicae subserviant potius, ac ministrent principio vitali tamquam instrumenta ad vitales functiones peragendas (2), prout jam dudum docuerant Scholastici cum S. Thoma (3). Ergo excludenda est definitio Bichati.

Bichat.

4.<sup>o</sup> **Definitio Richerandi** hoc eodem in primis vitio laborat. Deinde solum revera explicat, qualenam sit subiectum vitæ, nimirum corpus organicum; intimam autem naturam ejus penitus prætermittit. Denique nimis vaga est et obscura,

Richerandi.

(1) Vide v. g. cl. Milne-Edwards (*Leçons sur la Physiologie* etc., tom. 14, pag. 256 et 257 in nota. Paris 1880, 1881). Cfr. Claud. Bernard (*La science expérimentale*, 2.<sup>e</sup> edit pag. 176).

(2) Vide Claudium Bernard (loc. cit. pag. 177), Dionysium Cochlin (*L' Evolution et la Vie*, chap. 7). Cfr. Milne-Edwards (loc. cit.).

(3) Vide v. g. 1.<sup>a</sup> p. quest. 78, art. 1, corp. et art. 2, ad 1.<sup>am</sup> Cfr. Albertus M. (*Physicor. lib. 2, tract. 3, cap. 4*).



cum non declaret, quænam sint phænomena viventis propria, quantumve censi debeat tempus, intra quod illa manifestari oporteat in corpore organico ad hoc, ut vivum dicatur. Nam cadaver etiam organicum est, suumque organismum per aliquod tempus servare potest; nec omnia quæcumque phænomena in corpore vivente contingunt, vitalia indiscriminatim dici possunt, quandoquidem nonnulla æque in non viventibus passim cernuntur. Donec ergo assignentur phænomena solius propria viventis, nihil asseritur, per quod natura illius innotescat.

Cuvier,

5.<sup>o</sup> **Definitio Cuvieris** præcedentibus certe præstat, laudemque ex eo meretur, quod vitam in actu primo a vita in actu secundo distinxerit, et vitam vegetativam clarius per nutritionem declaraverit. Nihilominus approbanda non est, non solum quia vitæ intentionali minime convenit, sed quia ipsam vitam physicam vegetationis non satis adæquate exprimit. Etsi enim vitam solam vegetativam descriptam voluisset clarissimus vir, non debuisset sola nutritione contentus tacere generationem, quæ una est e nobilissimis operationibus viventium (1).

Beclardi,  
Litré et Dugès,

6.<sup>o</sup> **Definitiones Beclardi, Litré et Dugès** nimis vagæ sunt, nec rem definitam unquam declarabunt, donec peculiariæ actiones et activitates corporum organicorum de clarent.

Spencer et  
Lewes.

7.<sup>o</sup> **Venio jam ad Spenceri et Lewes definitionem.** Et quia doctrina hujus in illius doctrina contineri videtur, illam solam hic expendere juvat. Spencer requirit ad vitam, ut comprehendat: *α*) plures *mutationes* et *simultaneas* et *successivas subjecti*, quod idem substantialiter permaneat; *β*) easque non homogeneas, sed *heterogeneas* et *varias*, quæque *γ*) sint *aliæ aliis consertæ* atque invicem *connexæ et ordinatæ* ita, ut aliæ ab aliis dependeant, quare vita non est utcumque *series*, sed *combinatio* mutationum; nec *δ*) combinatio quælibet, sed *definita* ac certo modo fixo determinata; nam etiam in non viventibus et in decompositione cadaverum passim cernuntur series mutationum, non tamen definitæ, sed indefinitæ. His nondum contentus Spencer *ε*) requirit ad

(1) Cfr. de his cl. P. Liberatore, oper. et loc. nuper citat.

rationem vitæ, ut definita hujusmodi mutationum combinatione *correspondeat*, peculiaremque respectum servent cum conditionibus vel phænomenis ac mutationibus mediæ circumstantis (1). Nihilominus hæc omnia, quæ minutatim evolvuntur ab anglo scriptore, veram vitæ rationem minime attingunt. Et primo quidem mirum est hominem, qui tanto apparatu analysim vitæ instituendam sibi proposuerat, prætermisisse penitus id quod in ea præcipuum est. Certum quippe est atque exploratum in viventibus inesse actus quosdam immanentes ipsi subjecto et principio, a quo eliciuntur: tales sunt nominatim nutritio et generatim actus intentionales cognitionis et appetitionis, prout inferius magis declarabitur. Hujusmodi actuum nullum cernere est vestigium in corporibus inorganicis, quorum activitas, quantumvis multiplex et varia, tota exercetur in exteriorem materiam. Qui ergo in viventibus conditionem principii immanenter operantis negligit, etiamsi accuratissime reliqua omnia consideraret, is profecto illud, quod viventia omnia ab omnibus non viventibus secernit, et in alio penitus ordine constituit, atque adeo præstantissimum in illis reputandum est, non attingit, nec vitæ rationem satis se declarasse arbitrari debet. Deinde primum, quod ad vitam requirit Spencer, ut nempe plures comprehendat mutationes, sive simultaneas sive successivas, necessarium nullatenus est; immo vero datur in Deo vita sine ulla prorsus mutatione, nec certe vivere Deus dici posset, si vita veri nominis mutationem implicaret. Et quamvis actus vitæ in creatis aliquam mutationem semper afferat, falsum tamen est vitam plures mutationes vindicare. Annon vitalis est unus actus simplicissimus voluntatis aut intellectus, etiamsi nullam aliam comitantem, vel subsequenter, vel etiam antecedentem mutationem habeat, saltem si solam receptionem vel excitationem impressæ speciei supponat, quæ ad intellectus cognitionem debet præcedere? In ipsa etiam vita vegetativa pauciores dari queunt mutationes, quam sæpe cernantur in corporibus inorganicis, quæ longam subire queunt seriem mutationum,

(1) Vide hæc fuse descripta apud Spencer, *Biologie*, loc. cit. chap. 4. et 5.



quin vivere propterea dicenda sint, ut fatetur ipsemet adversarius (1). Ergo prima ista conditio non recte assignatur tanquam tessera viventium corporum propria. Unde etiam constat reliquas quoque conditiones ad generalem vitæ rationem absolute necessarias non esse; tum quia si nulla requiritur mutatio, neque etiam requirentur mutationes heterogeneæ sive ordinatæ sint et inter se consertæ ac definitæ, sive non; tum etiam quia non repugnat dari ejusmodi mutationes in entibus inorganicis, quemadmodum iterum concedit ipsemet auctor definitionis, quam modo expendimus (2). Quamobrem quis non miretur levitatem viri, qui post assignatas serio hæc conditiones tanquam viventium proprias, cum singulas probare atque explicare conatur, ipsemet exceptiones aperit, fateturque easdem non penitus alienas esse ab inorganicis? Quod quid est nisi vel jocari, vel secum pugnare, vel scepticorum causam agere? Postrema conditio nihilo verius felicisve invecta est ob eandem modo adductam rationem. Medium enim circumstans ad vitam exercendam opus non est: Deus absque ullo medio vivit, nec spiritus ullo eget medio physico ad vivendum. Nec vero necesse est, ut vita servet cum medio proportionem, aut pro mediâ varietate aut diversitate sit etiam ipsa varia vel diversa. Quis sanus dubitet, posse me diversissimis in locis ac mediis constitutum eadem cogitare ac velle, ac vicissim in eodem loco et medio constitutum diversissima cogitare aut velle? Præterea quidquid dicat Spencer, etiam corpora inorganica diversas subeunt mutationes pro diversitate corporum circumstantium, nec omnia, quorumcumque capacia sunt phænomena ubilibet indiscriminatim præ se ferunt, sed alia alibi, fere sicut ipsa viventia. Sic si sermo sit de mutationibus substantialibus, idem corpus sive simplex sive compositum, varias compositiones vel resolutiones chemicas experietur pro varia natura et affinitatibus aliorum, quæ prope adsint, corporum, prout notum est omnibus ex Chimia; si vero sermo sit de mutationibus accidentalibus, quæ incorruptam relinquunt subjecti substantiam, idem omnino corpus

(1) Spencer *Principes de Biologie*, prem. part. chap. 4, pag. 77.

(2) Vide Spencer, loc. nup. cit. pag. 78-81 et 83 et 84.

pro varia circumdantium causarum activitate alias et alias subibit mutationes sive attractionis sive repulsionis, sive caloris et dilatationis sive frigoris et contractionis, etc. Quæ cum ita sint, Spenceriana definitio vitæ nec *omni* nec *soli* convenit definito, ideoque rejicienda est.

8.<sup>o</sup> Berardi, Blainvilli et Küssii definitiones diutius nos tenere non debent, sunt enim ineptissimæ. Berardus dicit vitam esse modum existendi proprium entium organicorum. Atqui hoc ipsum est, quod declarare oportet. Deinde Blainvillo vita est motus internus compositionis et resolutionis, generalis simul et continuus. Atqui id, præterquam quod vitam intentionalem cognitionis et appetitionis non comprehendit, nihil importat, quod inorganicorum corporum conditionem excedat: motus enim internus compositionis et resolutionis, nisi sit immanens, quod non satis exprimit hic scriptor, vitalis esse nequit, ut patet ex electrica pila, cui nemo vitam tribuerit, quantumvis habeat ejusmodi motus intestinos, eosque generales et continuos. Küssii definitio, utpote quæ fit per terminos negativos, rem definiendam minime demonstrat. Enimvero quot sunt realitates in rerum natura, quæ nec per Physicam nec per Chimiâ explicari valent, quin tamen vitæ rationem contineant! Cum ergo naturalium scientiarum cultores cum omnibus suis experimentis et inductionibus, quibus tantopere gloriantur, verum vitæ conceptum assequi non potuerint, necesse est ad veterem Scholasticorum sapientiam redire, a qua si numquam recessisset abominando repudium recentior ætas, numquam in tot ineptissimarum nugarum errorumque immanium scopulos impigisset.

#### § II.—VERA VITÆ NOTIO TRADITUR.

11. Conceptum vitæ declarare melius non possumus, Vera vitæ notio. quam præmittendo notionem viventis; ratio enim abstracta et communis longe commodius ab intellectu nostro percipitur ex contemplatione subjectorum, in quibus illa reperitur.

Quid vivens. Vivens autem ex mente Angelici Doctoris definiendi generatim valet id, quod potest seipsum movere secundum *aliquam actionem* (1), vel quod natum est movere seipsum,

(1) 4.<sup>o</sup> dist. 49, q. 1, a 2, solut. 3.



large accipiēdo motum, prout etiam intellectualis operatio motus quidam dicitur (1). Cum vero motus recipiatur in mobili, id movet seipsum, ideoque vivit ex allata descriptione, quod suscipit in se motum vel operationem a se ipso procedentem, seu quod efficit motum sibi immanentem. Possunt ergo etiam non viventia motum ab alio impressum sibi recipere, posunt et aliud movere vel agere in aliud; se autem ipsa movere nequeunt, idque viventium est proprium (2).

Adverte autem hic nomine *motus* intelligi motum in quacumque significationum illarum, quas suo loco declaravimus, sive propria illa sit, sive metaphorica, stricta, vel minus stricta, aut etiam latissima, nimirum pro quacumque *actione vel operatione* (3). *Illud*, inquit Aquinas, *vivere dicimus, quod in seipso habet motus vel operationes quascumque. Ex hoc enim sunt dicta primo aliqua vivere, quia visa sunt in seipsis habere aliquid ea movens secundum quemcumque motum; et hinc processit nomen vitæ ad omnia, quæ in se ipsis habent operationis propriæ principium. Unde et ex hoc quod aliqua intelligunt, vel sentiunt, vel volunt, vivere dicuntur, non solum ex hoc, quod secundum locum moventur, vel secundum augmentum* (4). Neque enim alienum

(1) Lib. 2.<sup>us</sup> de Anim. lect. 1, paragr. c. Cfr. lib. 1, de Anim. lect. ult. in fine; 1 p. quest. 18, art. 2. 2. quest. 79, art. 1; Contr.-Gent., lib. 1, cap. 97; de Pot., quest. 10, art; de Verit., quest. 4, art. 8, et alibi.

(2) *Viventia sunt, quæ seipsa movent ad agendum; illa vero quæ nonnisi exteriora movere possunt, omnino sunt vita carentia.* S. Th. lib. 4, Contr. Gent. cap. 11.

(3) Qua de re vide *Cosmolog.* num. 278, pag. 1001.

(4) De Verit. quest. 4, art. 8. Similia habes 1 p. quest. 18, art. 1. *Illæ proprie sunt viventia, quæ seipsa secundum aliquam speciem motus movent, sive accipiatur motus proprie, sicut motus dicitur actus imperfecti, id est existentis in potentia, sive motus accipiatur communiter, prout motus. Dicitur actus perfecti, prout intelligere et sentire dicitur movere... Ut sic viventia dicuntur quæcumque se agunt ad motum vel operationem aliquam.* Cfr. ib. art. 3 in corp., et ad 2.<sup>am</sup>; Contr. Gent. lib. 1, cap. 97; 4.<sup>o</sup> dist. 49, quest. 1, art. 2, solut. 3.

Et quest. 10 de Potentia, art. 1. *Unde si largo modo accipiamus motum pro qualibet operatione, sicut Philosophus accipit in 3.<sup>o</sup> de Anima (tex. commun. 28), ubi dicitur, quod sentire et intelligere*

est ab usu loquendi, motus vocare ipsas cogitationes mentis (1) animique desideria (2).

Addendum porro est ex communissima plurium intelligentia cum Angelico Doctore, motus hos immanentes tunc censendos esse viventium proprios, cum exercentur non ad assequendam dispositionem ac statum connaturalem, sed cum, eo supposito, ad ulteriorem subjecti ipsius perfectionem provehuntur. Etenim ipsa etiam corpora non viventia possunt, cum extra statum connaturalem versantur, ad illum iterum habendum niti, et quodam modo moveri, prout fit in elasticis, quæ deformatam partium suarum conformationem sive per flexionem sive per tractionem sive per conflictum cum alio corpore recuperant intrinseco sibi motu. At vero viventia moventur motu vitali secundum hoc, quod sunt in dispositione naturali, non autem in accedendo ad eam vel in recedendo ab ea; immo secundum quod recedunt a tali motu, recedunt a naturali dispositione (3). Ratio autem, cur motus ad statum connaturalem subjecti tendentes, licet immanenter fiant, vitales tamen censi non debeant, est, quia motus istiusmodi sunt necessaria quædam consequentia et resultantia primæ generationis rei, ac proinde refundendi potius sunt tanquam in causam principalem in ipsam rei causam efficientem secundum alibi dicta (4); nam resultantia naturalis... quodammodo pertinet ad consummatam rei

Quo sensu intelligendus est motus immanens proprius viventis.

*sunt motus quidam, non quidem motus, qui est actus imperfecti, ut definitur 3.<sup>o</sup> Physicorum, sed motus qui est actus perfecti, sic proprium videtur esse viventis; et in hoc ratio vitæ videtur consistere, quod aliquid sit movens se ipsum. Nam quicquid invenimus per se et in se operari quocumque modo, dicimus vivere. Et per hunc modum Plato posuit, quod primum movens movet seipsum. Cfr. 2.<sup>us</sup> de Anim. lect. 1; 1 p. quest. 18, art. 1, et art. 3, ad 1.<sup>am</sup>; de Potent., quest. 10, art. 1.*

(1) Vide Ciceron., de Orat. lib. 1, num. 23.

(2) S. Th. 1 p. quest. 18, art. 1. Cfr. ib. art. 3, in corp., et ad 1.<sup>am</sup>.

(3) S. Thom. 1 p. quest. 18, art. 1, ad 2.<sup>am</sup>. Cfr. Suarez (disp. 23 *Metaph.*, sect. 14, num. 7), Sylvest. Mauri (*Quæstion. philos.* lib. 4, quest. 22 ad 4.<sup>am</sup>), Rhodes (*de Anim. disp.* 1, quest. 1, sect. 1), Lossada (*Animastica*, disp. 1, cap. 1, num. 7 seqq.)

(4) Vide *Cosmolog.* num. 310, pag. 1003, *Eadem esto responsio.* Cfr. *Ontolog.* num. 321, pag. 925.



perfectionem, quæ solum tendit ad constituendam rem in connaturali suo statu per se sibi debito generationis\* (1). Maneat ergo, rationem viventis in eo esse repositam, ut se possit *movere*, vel immanenter operari.

Viventis est se  
perficere.

Et quoniam actio immanens est perfectio ipsius agentis, sequitur viventis proprium esse, ut habeat virtutem se perficiendi ab intrinseco, seu assequendi complementum suæ perfectionis (2). Entia enim inanimata, cum in statu suo naturali versantur, non habent activitatem nisi ad extra, quemadmodum experientia ipsa demonstrat, ut nempe formam suam aliis per actionem communicent; at viventia ulterius agunt ad propriam perfectionem conservandam augendamve. Hinc vero consequitur, quamquam terminus operationis vitalis in eodem subjecto, a quo procedit, recipiatur, tamen vocari eam proprie passionem non posse. Passio enim in sensu magis proprio non solum receptionem actus importat, sed etiam alterationem cum amissione alicujus perfectionis: unde formæ vel actus receptio, qui subjecti præviam alterationem non postulet, sed tantum afferat eidem novam perfectionem absque ullius præcedentis formæ corruptione, *passio* proprie non est (3). Dicitur tamen vitalis operatio interdum *passio* largo sensu, ad denotandam videlicet ejus immanentiam vel receptionem in ipso subjecto efficienti (4).

Operatio vitalis  
non est  
proprie passio.

(1) Suarez, disp. 18 *Metaphys.* 3, num. 14.

(2) *Est autem duplex operatio*, inquit Angelicus, *quædam quidem transiens ab operante in aliquid extrinsecum, sicut calefactio ab igne in lignum; et hæc quidem operatio non est perfectio operantis, sed operati, non enim aliquid acquiritur igni ex eo, quod est calefactio, sed calefactio acquiritur calor. Alia est operatio non transiens in aliquid extrinsecum, sed manens in ipso operante, sicut intelligere, sentire, velle, et hujusmodi; hæc autem operationes sunt perfectiones operantis. Intellectus enim non est perfectus, nisi per hoc quod est intelligens actu; et similiter nec sensus, nisi per hoc quod actu sentit. Primum autem operationum genus commune est viventibus et non viventibus; sed secundum operationum genus est proprium viventium. S. Thom., de *Potent.* quæst. 10, art. 1. Cfr. 1 p., quæst. 18, art. 3, ad 1.<sup>am</sup>; *Contr. Gent.* lib. 2, cap. 1.*

(3) Cfr. *Cosmolog.* num. 205, pag. 1037, 1038.

(4) Cfr. Aristot. (*de Anim.* lib. 2, text. 56), S. Thom. (*ibid.* lect. 11, paragr. d), et Suarez (*de Anim.* lib. 2, cap. 2, num. 5).

12. Probanda jam est rectitudo istius definitionis. 1.<sup>o</sup> Primum argumentum sit S. Thomæ, quod in hunc modum proponi potest. Quid sit vivens, intelligi, ac declarari melius non potest, quam ex eorum contemplatione, quæ manifestissime vivunt, qualia sunt animalia. Atqui animal tunc dicitur vivere, *quando incipit ex se motum habere; et tamdiu judicatur animal vivere, quamdiu talis motus in eo apparet. Quando vero jam ex se non habet aliquem motum, sed movetur tantum ab alio, tunc dicitur animal mortuum per defectum vitæ* (1). Ergo recta est modo exposita vitæ definitio.

Prob. 2.<sup>o</sup> Ex eodem Angelico Doctore. Quando aliquæ res, quæ proprie non vivunt, vivere tamen per metaphoram dicuntur, ideo vita illis tribuitur, quia videntur seipsas movere, non vero ab aliquo extrinseco impellente motum recipere. Ergo signum est rationem viventis ex communi omnium sensu in hoc rite reponi, quod aliquid habeat virtutem se movendi ab intrinseco. Illa, quæ videntur per se moveri, scribit Aquinas, *quorum motores vulgus non percipit, per similitudinem dicimus vivere, sicut aquam vivam fontis fluentis, non autem cisternæ, vel stagni stantis; et argentum vivum, quod motum quemdam habere videtur* (2).

Prob. 3.<sup>o</sup> Proposita definitio convenit omnibus et solis viventibus. Ergo recta est. *Antecedens patet.* Quæcumque enim ex communi sententia vivere dicuntur, in hoc conveniunt, quod motum habeant ab intrinseco; quemadmodum jam supra innuimus in præcedenti articulo, et experientia ipsa satis innotescit, magisque declarabitur, cum de singulis viventium generibus agendum erit, neque enim omnia simul probari et nucleari possunt. Neque vero e converso solet aliter probari corpus aliquid non vivere, nisi per hoc, quod nullæ in eo deprehendantur actiones immanentes, ac proinde careat virtute ac principio se movendi ab intrinseco. Enimvero ea est conditio et indoles propria corporum inorganicorum, quæ nomine inertię designatur, ut nempe nequeant ex

Probat  
definitio vi-  
ventis.

(1) S. Thom., 1 p. quæst. 18, art. 1. Cfr. 4.<sup>a</sup> dist. 14, quæst. 2, art. 3, solut. 2.

(2) *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 97. Cfr. 1 p. quæst. 18, art. 1, ad 3.<sup>am</sup>; 3.<sup>o</sup> dist. 35, loc. cit. Vide Cardin. Tolet. in 1.<sup>a</sup> partem, quæst. 18, 1.<sup>a</sup> Conclusio.



seipsis statum, quem habent mutare ita, ut si sibi relinquuntur, in eodem perpetuo remaneant, donec adsit causa extrinseca, eaque adæquata, a qua mutantur. E converso viventia quamdiu vivunt, habent internam activitatem, qua, saltem ubi adsunt debita adjuncta, possint seipsa perficere ac mutare; cum vero carent ejusmodi activitate, re vera dicuntur, et sunt mortua. Sic planta, immo vero infima cellula et protoplasma, quamdiu vivit, se perficit, ac mutat nutriendo se et augescendo, si adsit aptum alimentum; cum autem nequit se hoc pacto perficere, mortuum habetur ab omnibus. Idem dic de animali relate ad quascumque operationes, quas ex genere suo elicere valet. Ergo notio vitæ ac viventis egregie declaratur ex ratione motus vel operationis immanentis.

Explicata  
definitio viven-  
tia analogæ est.

Fatendum nihilominus est, allatam definitionem vitæ analogam esse respectu diversorum viventium propter diversissimam rationem, secundum quam intelligendus est motus ab *intrinsicco*, cum prædicatur de Deo ac de creaturis; atque in ipsis etiam creaturis cum per motum exprimitur vita sive intentionalis, sive physica (1). Nec facile puto posse fieri *univocam* definitionem, quæ numeris omnibus sit absoluta (2). Cæterum non est, cur aliam quæramus, cum hæc Angelici Doctoris et Scholasticorum adeo sit perspicua et conveniens, ut nulla melior potuerit hactenus excogitari.

Quid vita.

Ex his jam patet etiam, quid sit *vita*; est nimirum ratio abstracta viventis, vel forma metaphysica hujus concreti *vivens*; forma, inquam metaphysica, quia forma physica constituens in suo *esse* physico vivens corpus est anima, prout jam fusiis mox aperietur. Sed quemadmodum vivens sumi potest bifariam, vel pro eo quod *natum est operari immanenter*, vel pro eo quod *actu sic operatur*; ita etiam *vita* dupliciter accipitur, vel in actu primo, vel in actu secundo. Vita in actu primo est *ipsum esse viventis* (3), vel substantia,

(1) Vide Suarez (*de Anim.* lib. 1, cap. 4, num. 21; et disp. *Metaph.* 30, sect. 14, num. 7), Valentia, (t. 1, disp. 1, quest. 18, punct. 1 in fine).

(2) Vide Anton. Mayr, *Philos. Perip.*, part. 4, disp. 1, quest. 1, art. 2.

(3) S. Thom. 1, 2, quest. 3, art. 2, ad 1.<sup>um</sup>

cui convenit secundum suam naturam movere seipsum vel agere se quocumque modo ad operationem (1); vita vero in actu secundo est ipsa operatio viventis, secundum quam principium vitæ in actum reducitur (2), id est, ipsa operatio immanens, quæ a vivente elicitur (3). Unde plane sequitur prædicatum viventis, si exprimat vitam in actu primo, esse prædicatum essentialiale (4), idque significavit Philosophus, cum scripsit: *Vivere viventibus est esse* (5); huic vitæ substantiali opponitur mors, eandemque significamus cum vitam *brevem* aut *longævam* dicimus, aut vitæ numeramus annos. Si autem vita exprimat ipsas vitales operationes, prædicatum est accidentale in rebus creatis, essentialiale autem in Deo, in quem cadere accidens nullatenus potest. Si quis autem recentiorum istam distinctionem in vivens vel vitam in actu primo et in actu secundo auctoritate veterum celebratam irrideat, vel contemnat, noverit illam et ex ipsa terminorum declaratione approbari debere ab iis omnibus, qui nolint esse substantiale rei cum operatione confundere, et experientia quoque confirmari. Nam in somno cessant operationes sensitivæ et intellectivæ, non tamen cessat ipsum esse intellectivum et sensitivum hominis vel animalis. Idipsum constat ex animalibus frigore contractis, in quibus nec sanguinis circulatio nec ulla detegitur nutritiva functio, quin tamen ideo censi debeant vere mortua, nam statim ac mutatis adjunctis torporem illum, quo velut inanimata tenebantur, excutunt, illico vitales operationes naturæ suæ convenientes resumunt. Rectissime ergo distinguitur vita in actu primo seu esse substantiale viventis ab ejusdem vitalibus operationibus, quæ vita in actu secundo vocantur. Ex qua doctrina

Prædicatum  
viventis utrum  
substantiale, an  
accidentale.

(1) 1 p., quest. 18, art. 2.

(2) S. Thom. 1, 2, quest. 3, art. 2, ad 1.<sup>um</sup> et in corp. Cfr. *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 97; 1.<sup>a</sup> *de Anima*, lect. 14 in fine; 3.<sup>a</sup> dist. 35, quest. 1, art. 1; 4.<sup>a</sup> dist. 49, quest. 1, art. 2, solut. 3, et ib. ad 1.<sup>um</sup>

(3) Vide Suarezium egregie rem hanc illustrantem, lib. 1, *de Anim.* cap. 2, n. 27, 28, 29. Cf. eundem auctor. (disp. *Metaph.* 30, sect. 11, n. 6), itemque P. Molina (in 1.<sup>a</sup> part. quest. 18), Valentia [loc. nup. cit.], Tolet. et Conimbricenses in suis Commentariis aliosque passim veteres Scholasticos.

(4) S. Thom. 1 p., quest. 18, art. 2.

(5) Arist., lib. 2 *de Anim.*, cap. 4, text. 37.



facile explicantur facta quorundam viventium, quæ postquam diu sopita et velut mortua jacerant, iterum ad vitam revocari videbantur (1): nimirum illa vere mortua non fuerant, sed vita substantiali seu in actu primo fruebantur, ac solum vitalibus operationibus ob externum aliquod impedimentum carebant.

Cæterum si vitam in actu primo et vitam in actu secundo inter se comparaveris, jure merito decernes cum S. Thoma (2) priorem vitæ acceptionem esse magis principalem et nobiliorem, alteram vero manifestiorem, unde etiam ab hac primitus nomen vitæ desumptum esse docet idem Aquinas.

## SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

13. **Ojic. 1.<sup>a</sup>** Si vera esset hæc definitio, Deus minime dicendus esset vivere. Atqui Deus perfectissime vivit. Et Major probatur. Quia quod est prorsus immutabile, nequit *movere seipsum*. Deus autem est prorsus immutabilis. Ergo...

**Respondeo, neg.** Major.: et probationis *distinguo* Majorem. Quod est prorsus immutabile, nequit *movere seipsum* motu stricto aut etiam latiori, qui mutationem veram involvat, *conc.*: motu latissimo et improprio, qui generatim operationem et actionem significat, nec necessario importat mutationem, *neg.* Et concessa Minore, *nego* conseq (3).

(1) «Des nos jours, on a beaucoup parlé des animaux ressuscités, c'est-à-dire des animaux qui peuvent être ranimés par l'humectation, après avoir perdu par la dessiccation toutes les apparences de la vie.

**Resistance vitale.**—Observée dans les œufs des Insectes et des Crustacés (*Cypris*, *Apus cancriformis*), qui se conservent pendant plusieurs années.—On a vus des Mollusques enfermés dans des boîtes, rester en vie sans nourriture pendant deux ans (*Helices*, *Clausilies*) et quatre ans (*Maillost*).—Des *Crapauds* entourés de plâtre furent trouvés vivants après plus de six ans.—P. A. Belyneck, S. J. (*Résumé du Cours de Zoologie*, pag. 80, 81. Namur 1864-1865). Cfr. Beraud (*Éléments de Physiologie de l'homme*, etc., tom. 2. Sixième partie, pag. 678, *Vitalité*).

(2) 1 p. quæst. 18, art. 2.

(3) Vide S. Th. 1 p. quæst. 18, art. 3, et lib. 1 *Contr. Gent.* cap. 97.

Difficultas hæc jam præoccupata est in ipsa definitionis expositione. Modum autem purissimæ actualitatis, quo Deus perfectissime vivit, declarandum in Theologia reservamus. Vide, sis, interea Doctorem eximum (1).

**Instabis.** Si Deus ideo vivit, quia habet a se purissimum actum intellectionis et volitionis, dicendum est in Deo ipsam æternitatem, immensitatem et attributa reliqua esse quoque vitalia; quandoquidem illa omnia sunt purissimus actus, quem habet Deus *a se*. Atqui id est contra sensum omnium communem. Ergo.

**Respondeo, dist.** Major. Sunt vitalia *realiter* et *identice, conc.*; *formaliter, neg.* Et concessa Minore, *nego* conseq. In Deo prædicata omnia sunt vita *realiter*; exinde autem non sequitur illa esse etiam formaliter vitam. Quemadmodum æternitas ipsa et immensitas et ipsum *esse* unum sunt re, sed tamen intelliguntur, et exprimuntur diversis conceptibus ac definitionibus. Nam «dum queritur, an alia Dei prædicata sint actus vitales, *etiam formaliter*, vel non; sensus questionis est, an concipiuntur per species et ænigmata actuum creatorum vitalium vel non vitalium. Et quia divina intellectio et volitio concipiuntur per species intellectionis ac volitionis creatæ, quæ sunt actus vitales; ideo divina intellectio et volitio sunt actus vitales, etiam formaliter, secundum rationem communem intellectionis et volitionis communis creatæ et increatæ. E converso, quia divina æternitas concipitur per species durationis creatæ, quæ est perfectio non vitalis; divina immensitas concipitur per species ubicationis creatæ; idemque dic proportionaliter de divina substantia ac de divino *esse*; ideo non sunt actus formaliter vitales, sed solum realiter, in quantum identificantur cum intellectio» (2).

**Objic. 2.<sup>o</sup>** Gravia et levia movent etiam seipsa, itemque cælestia corpora sunt in motu perpetuo. Atqui tamen non dicuntur vivere. Ergo...

(1) Suarez, disp. *Metaph.* 30, sect. 14, n. 7 seqq.

(2) P. Sylvest. Mauri, *Question. philos.*, lib. 4, quæst. 22. ad 2.<sup>am</sup> Cfr. Lossada, *de Anim.*, disp. 1, cap. 1, num. 11, ubi hæc fusiuse evoluta reperies.



**Respondeo, neg.** Major.; vel si mavis *distinguo*. Vere *movent se ipsa* ab intrinseco, *neg.*; in speciem vel apparenter, per attractionem aliorum corporum, quam in se recipiunt, *conc.* Prisci vero Doctores, quamvis motus gravium ac levium existimabant ab intrinseco procedere, ideo tamen negabant, eos esse vitales, quia solummodo exerceri dicebant, cum corpora versantur extra proprium locum atque adeo extra connaturalem dispositionem, eodem modo quo superius notavimus moveri corpora elastica. Verum jam alias fuse docuimus deceptos hac in re fuisse veteres illos sapientes, graviumque motus non esse actionem immanentem, sed transeuntem, quæ non exercetur ab iis ipsis corporibus, quæ moventur, sed ab aliis, versus quæ moventur ab iisdem attracta (1). De causa motuum corporum cælestium fuerunt etiam plures opiniones, ut in *Cosmologia* retulimus (2); ii tamen ex communi Astronomorum sententia explicantur ex æquilibrio motus projectionis extrinsecus impresso cum attractiva virtute alicujus centri, circa quod perpetuis gyris corpora illa volvuntur.

**Obj. 3.<sup>o</sup>** In phænomenis elasticitatis, cum corpus alteram suam formam ac primævam partium dispositionem recuperat, revera datur motus immanens et ab intrinseco. Atqui tamen nemo dixerit motum illum vitalem esse.

**Respondeo, dist.** Major. In his phænomenis datur motus ab intrinseco, præcise ad acquirendam connaturalem dispositionem, *conc.*: datur motus, qui supposita connaturali dispositione, tendat ad ulteriorem perfectionem subjecto comparandam, *neg.* Itaque quemadmodum jam superius monuimus, motus vitales supponunt rem in dispositione ac statu connaturali constitutam. Motus vero, qui determinantur ad assecutionem ejusmodi status, nec dici nec esse possunt vitales, utpote communes omnibus rebus etiam non viventibus. Omnis quippe res natura sua postulat habere dispositionem sibi necessariam et convenientem, eamque, si sibi relinquitur, nec ullum adsit externum impedimentum, habebit profecto de facto. Atque hæc causa est, cur

(1) Vide *Cosmologiam*, a num. 377, pag. 1262 seqq.

(2) Vide *Cosmolog.* num. 32, pag. 78 seqq.

ejusmodi, aut similes alii motus, licet principium intrinsecum habeant in ipsa rei natura, tamen potius refundantur ab Angelico Doctore in causas extrinsecas, per se quidem in auctorem talis naturæ, a qua necessario postulatur certus status ac dispositio, et per accidens in eum, qui removet externum impedimentum, quod forte rem connaturali sua dispositione privabat (1).

**Objic. 4.<sup>o</sup>** Etiam sunt immanentes et ab intrinseco motus illi, per quos ab essentia rei cujusvis dimanant proprietates. Et nihilominus motus ejusmodi vitales non sunt, nisi velimus rebus omnibus vitam tribuere.

**Respondeo, dist.** Major. Sunt motus immanentes, qui ad acquirendum statum connaturalem tendant, *transeat* Major. Sunt motus immanentes, qui supponant in subjecto statum connaturalem, quales oportet esse motus vitales, *neg.*; et *neg.* conseq. Itaque eadem est solutio, quæ in præcedenti objectione. Nam etiamsi proprietates per veram ac distinctam actionem a natura rei dimanent, quemadmodum probabilius tenendum esse docuimus in *Ontologia* (2); motus illi ad statum connaturalem subjecto comparandum pertinent. Status enim connaturalis eum accidentium apparatus complectitur, «quem res in primo sui *esse* et deinceps permanenter habere debet suapte natura, ita ut eo privari ex toto vel ex parte nequeat citra violentiam» (3). Transmissi tamen primum Majoris membrum, quia sunt plures, qui etiam valde probabiliter putant proprietates non fluere per novam actionem, quæ sit ipsius naturæ tamquam causæ, sed existere per meram resultantiam per eandem operationem agentis, quod naturam ipsam produxit. Quod si hanc alteram sententiam teneas cum multis gravibus scriptoribus, nullum faceret negotium objecta difficultas, siquidem motus ejusmodi externæ causæ efficienti sunt tribuendi, atque adeo vitales non erunt. Ad solvendam ergo propositam difficultatem, necesse non est alterutram ex duabus opinionibus sequi, sed in utraque solvi satis commode potest.

(1) Vide S. Tho. 1 p. quæst. 18, art. 1, ad 2.<sup>am</sup> Cfr. 2.<sup>a</sup> dist. 14, quæst. 1, art. 3; de *Potent.* quæst. 3 art. 11, ad 5.<sup>am</sup>

(2) Vide *Ontolog.* num. 223, pag. 927 seqq.

(3) Lossada, *Animastica*, disp. 1, cap. 1, num. 7.



**Objic. 5.<sup>o</sup>** Omne quod movetur, ab alio movetur. Ergo nihil potest seipsum movere, ac proinde vel nihil omnino vivere dicendum est, vel vitiosam esse allatam definitionem.

**Resp., dist. ant.:** ita ut nihil se possit movere etiam inadæquate ex virtute sibi insita, *neg.*; ita ut nihil possit se *totaliter* movere, seu *plenam habere in se sufficientiam* sui motus, vel *efficere ac recipere* motum omnino secundum idem, *trasn.*

Et *distincto* pariter primo consequente, alterum *nego*. Non una est Philosophorum opinio circa intelligentiam et extensionem illius proloqui, ut suo loco exposuimus (1). Cæterum veritas hujus principii vel in eorum ipsorum sententia, qui ejus universalitatem tuentur, non postulat omnino, ut nihil habeat in se virtutem se movendi. Omnes enim unanimi consensu cum illius effati auctore, Aristotele, fatentur necesse non esse ut *movens et motum* supposito distinguantur, sed posse idem suppositum *se movere*, dummodo non penitus secundum idem *exerceat*, et *recipiat* motum, ita ut quatenus movens, saltem inadæquate distinguatur a seipso quatenus moto. Sic in vita vegetativa, quamvis nutritio procedat ex insita virtute vegetantis, ac proinde vitaliter, adest tamen aliqua distinctio inter movens et motum, prout declaratum manet in *Cosmologia* (2). Idemque patet in actu cognitionis, quæ per species intentionales extrinsecus advenientes determinatur. Sensus enim, quamvis absque illis non sit determinatus nec ultimo completus ad actum suum perficiendum, iis tamen acceptis, ex propria et insita virtute, ac proinde immanenter, operatur objectum percipiendo, et se perficit. Unde etiam ad hoc ut motus vitalis sit atque immanens, non requiritur, ut nullatenus excitatus vel provocatus ab extrinseca causa fuerit, sed ut vere procedat ex interna activitate ipsius subjecti, in quo recipitur.

**Objic. 6.<sup>o</sup>** Pictor et citharædus vitaliter operantur, et nihilominus operatio eorum exterius prodit. Ergo vita potest etiam inesse in actionibus transeuntibus.

(1) Vide *Cosmolog.* num. 308, seqq. pag. 1054 seqq.

(2) Num. 308, pag. 1057; num. 300, pag. 1061, *Prob. 3.<sup>a</sup>*

**Resp., dist. 1.<sup>am</sup>** partem antec.: vitaliter operantur per motum manuum propriarum, *conc.*: per appositionem colorum in tabula, vel per tactum fidium, *neg.* Nam in motu manus pictoris vel citharædi duo distinguenda sunt, ipse formalis motus manus, qui est actio immanens, et applicatio colorum et tactus fidium, qui tali motu peragitur, et est actio transiens.

Et *contradist.* alteram partem antecedentis.

**Objic. 7.<sup>o</sup>** Potest homo intelligere, atque adeo vivere, per actum intellectionis a Deo solo productum et infusum: et pariter arbor vivit per insitionem rami, quæ ab extrinseco est effective.

**Resp. ad 1.<sup>am</sup> negando;** nisi enim intellectus aliquo modo concurrat saltem uniendo sibi actum illum, ut vere sit ab intrinseco, vitalis esse non poterit. Sed de hoc alibi. Ad 2.<sup>am</sup> dico arborem non vivere per meram appositionem rami ab extrinseco, sed per productionem unionis, qua illum secum continuat: fere sicut fit in nutritione (1).

**Dices.** Productio durationis, si admittatur sententia, quæ durationem in modo a re durante distincto reponit, videtur vitalis esse, quia immanens, saltem si teneatur eam divisibilem esse (2).

**Respondeo,** durationem, etiam ea admissa sententia, vel in ipsis viventibus, actum vitalem non esse, non quidem ex defectu immanentia, sed quia licet fingatur divisibilis et successiva, semper tamen est una actio continua pertinens ad statum connaturalem supponensque determinationem perpetuam cum primo *esse* rei extrinsecus acceptam (3). Aliæ difficultates huc etiam facientes, inferius extricabuntur, ubi de vita plantarum agendum erit.

14. **Scholion.** Ex his nullo negotio refellitur doctrina cl. P. Vallet, circa definitionem vitæ. Hic scriptor ceteroquin non mediocri laude dignus beneque de sana Philosophia meritus, arbitratur, 1.<sup>o</sup> sententiam, quæ reponit rationem vitæ

Alia notio  
vitæ

(1) Vide Lossada, *de Anima*, loc. cit. cap. 2, n. 32.

(2) Qua de re vide *Ontolog.* num. 362, pag. 1049 seqq. Cfr. *Cosmolog.* pag. 1083, in nota.

(3) Lossada, loc. nup. cit.



in operatione immanenti, quamvis a quibusdam post P. Liberatore aliosque scholæ thomisticæ asseclas tradatur, non tamen esse menti Aquinatis conformem, nec rationi. Sane Angelicus, inquit, nullibi vitalem actionem cum immanenti identificavit. Deinde plures sunt actus vitales, qui non sunt immanentes, ut v. gr. generatio viventium et ipsemet actus creativus Dei; et e converso plures sunt actus immanentes, qui vitales non sunt, v. g. actio pingendi, motus localis, quo animal pascua petit, aliæque actiones propriæ inorganicæ materiæ. 2.<sup>o</sup> Statuit rationem vitæ in spontaneitate reponendam esse, quam in omni et sola operatione vitali reperiri putat. Nominem enim spontaneitatis intelligit *vim quamdam intimam, cuius ope potest ens seipsum movere, ac dirigere suam activitatem versus certum finem, eundemque constanter quærere, resistendo agentibus externis, quæ conentur illud a tali fine divertere, vel in alium contrarium propellere* (1). Et paulo ante notaverat spontaneitatem non implicare libertatem nec reflexionem, immo nec perceptionem objecti vel finis quæsitii (2).

refellitur

Equidem arbitror doctrinam hanc novam prorsus esse ac menti S. Thomæ veritatisque contrariam. Et primo quidem quod S. Thomam attinet, relegatur laudata superius S. Doctoris testimonia, ac nominatim illud, quod exscriptum ex articulo primo quæstionis decimæ de *Potentia*, in nota dedimus, in quo disertè distinguit duplicem actionem, *trans-euntem et immanentem*, ac mox: *primum operationum genus, inquit, commune est viventibus et non viventibus; sed secundum operationum genus est proprium viventium*. Et idem genus operationum manifeste significat S. Thomas in omnibus illis locis, in quibus docet rationem vitæ in eo consistere, quod aliquid seipsum moveat, vel per se et in se operetur.

(1) «Nous définirons donc la spontanéité en général: *une force intime, en vertu de la quelle un être est capable de se mouvoir lui-même, de diriger dans une certaine mesure son activité propre vers une fin déterminée, de poursuivre cette fin avec constance, et résister aux agents extérieurs, qui voudraient l'en détourner, ou lui imposer une direction contraire.*» Vallet, *La Vie et l'Héritité*, pag. 37, Paris. 1891.

(2) Vide cl. P. Vallet, op. nuper cit. pag. 33 seqq.

Itaque de mente Aquinatis dubium nullum esse potest. Sed veniamus ad rationes. Plures sunt, inquit clarissimus adversarius, actus vitales, qui non sunt immanentes, ut generatio et actio creativa. De generatione dicam, Deo favente, ubi sermo erit de operationibus vitæ vegetativæ; et quamvis non omnes actus vitales æque perfectum gradum obtineant immanentiae, ostendetur tamen generationem, sin minus in sua consummatione ac termino finali, certe in suo initio satis immanentem esse, ut inter actus vitales connumerari queat. De creatione judicandum est ex iis, quæ super illius natura disputantur in *Cosmologia*: si enim est actio formaliter transiens, ac res a Deo prorsus distincta, quemadmodum censent probabiliter multi, procul dubio non est actio vitalis. Si autem creatio identificatur cum ipso Deo, nempe cum divina volitione, erit sub hoc respectu actio formaliter immanens, atque adeo vitalis; quia vero actio ejusmodi non est ita penitus immanens, sicut actus v. gr., quo Deus se ipsum intelligit, vel amat, sed ex eminentia efficacitatis suæ ponit etiam terminum aliquem extra, jure dicitur actio virtualiter transiens, et sub hoc respectu non est actus vitalis nec immanens, immo vero ab ipso Angelico inter actiones transeuntes diserte recensetur (1). Ad exempla immanentium actionum, quæ vitales non sunt, ab egregio adversario producta, ex superius dictis patet abunde, quid sit respondendum.

Denique indoles ac tessera vitalis actionis nullatenus reponi potest in spontaneitate, nisi vocibus abutamur. *Spontaneum* enim ante omnia importat id, quod procedit a principio intrinseco, et vel sumitur strictius, quatenus implicat præterea cognitionem aliquam finis vel objecti, ad quod ingenta virtute tendit appetitus, et tunc idem sonat, ac *voluntarium*, et in hoc sensu accipitur sæpe a veteribus (2), ac nominatim ab ipso S. Thoma, qui ostendens cum Aristotele bruta animalia et pueros etiam *voluntarie* operari, quamvis non gaudeant cognitione rationali, hæc scribit:

(1) *Lege Contr. Gent. lib. 2, cap. 1.*

(2) Vide v. g. Suarez (*Metaphys. disp. 19, sect. 2, num. 8*), Cardina. Aguirre (*Disputationes Ethicæ de Virtutibus et vitiis, disp. 14, quæst. 5*).



*Dicuntur autem (animalia et pueri) voluntarie operari, non quia operentur ex voluntate, sed quia proprio motu sponte agunt ita, quod a nullo exteriori moventur. Hoc enim dicimus voluntarium, quod sua sponte et proprio motu operatur (1), supponendo cognitionem aliquam saltem sensitivam, ut constat ex communi et ipsius etiam Aquinatis doctrina (2). Unde alibi: Pueri et alia animalia, inquit, communicant ipso voluntario, in quantum scilicet proprio motu aliquid sponte operantur.....; non autem communicant electioni, quia non operantur ex deliberatione, quæ requiritur ad electionem (3). Denique in lectione quarta libri tertii *Ethicorum* in ipso titulo tamquam synonyma usurpat voluntarium et spontaneum his verbis: Oslenditur, quid sit spontaneum seu voluntarium; et diffinitur illud esse, cuius principium est in ipso operante cum scientia circumstantiarum. Deinde spontaneum sumitur etiam quandoque latius pro eo, quod est conforme principio intrinseco et insitæ inclinationi etiam absque ulla vel sensibili cognitione (4). Et in hoc sensu spontaneum usurpavit Claudius Frassen, cum eam sibi proponens quæstionem «qualiter liberum, voluntarium et spontaneum invicem differant»; respondit «differre secundum magis et minus; omne enim liberum est voluntarium, et omne voluntarium est spontaneum; sed non vice versa. Spontaneum rebus etiam inanimatis competit, lapis enim deorsum, et ignis sursum sponte iendere dicuntur (5): voluntarium solis animalibus sive ratione præditis sive orbatis congruit, brutum enim voluntarie dicitur appetere cibum, et homo sibi convenientia inquirere: libertas autem solis agentibus ratione præditis, tam hominibus, quam angelis, propria est» (6). Itaque aliis vocibus, spontaneum*

(1) S. Thom., *Ethico* lib. 3, lect. 4, paragr. c.

(2) Vide v. g. S. Thom. 1. 2, quæst. 6, art. 1 et 2; et in titulo ipso lectionis 4, lib. 3 *Ethico*.

(3) S. Thom. *Ethico*. lib. 3, lect. 5, paragr. b.

(4) Vide Suar, *Metaphys.* disp. 19, sect. 2, num. 8.

(5) Nimirum secundum veterum sententiam putantur corpora gravia ex ingenta virtute ac propensione deorsum tamquam in proprium locum descendere, ignem vero sursum e converso ascendere: qua de re vide *Cosmologiam*, num. 377, pag. 1264 seqq.

(6) Frassen, *Quarta Philosophia pars; de Scientia morali*, disp. 2, quæst. 6, fin.

in strictiori acceptione idem valet, ac voluntarium vel conforme appetitui elicitu, sive rationali sive sensitivo, in latiori vero idem est ac naturale, prout naturale opponitur violento (1), vel conforme appetitui naturali aut innato (2): unde spontaneum in hoc posteriori sensu opponitur violento, in priori autem, invito vel coacto (3), nam coactum licet interdum sumatur latius pro violento, tamen magis proprie et stricte est illud, quod contrariatur appetitui elicitu. Et hæc quidem fusius declaranda erant, quia in re haud sane parvi momenti nosse oportet verum vocabulorum sensum. Itaque jam sic arguo adversus clarum scriptorem: Vel sumitur spontaneum in strictiori significatione vel in latiori. Si in strictiore, spontaneitas solis entibus cognoscitivis inesse potest; si in latiori, spontaneitas æque competere potest omnibus substantiis regni mineralis, admissa nempe vera sententia asserente corporibus omnibus vires et qualitates proprias et intrinsecas, quam in *Cosmologia* (4) propugnavimus. Ergo si vita in spontaneitate reponitur, necessario sequitur vitam vel solis entibus cognoscitivis competere posse, vel ad omnia etiam mineralia et inorganica extendendam esse; quod est prorsus alienum a veritate atque inauditum in catholicis scholis. Ergo definitio vitæ, quæ ex spontaneitate repetitur, vel non convenit *omni*, vel non convenit *soli* definito, ideoque rejicienda est.

Idipsum manifeste probatur ex ipsa Rev. Domini Vallet definitione, quam nuper dedimus. Sane nullum ens est vel in regno minerali, interna propriæque activitate præditum, quod ope illius *nequeat ad operandum se movere*, in sensu Auctoris, nempe prodire ad operationem, (v. g. ignis ad comburendum), *ac dirigere activitatem illam suam in certa mensura versus certum finem* (nam omne agens naturale necessario operatur pro mensura suæ virtutis ad producendum effectum, qui est finis et scopus suæ activitatis), *et finem illum constanter*

(1) De quo in *Cosmolog.* num. 188, pag. 651.

(2) Quid sit appetitus innatus et elicitus, vide in *Ontolog.* num. 137, pag. 420.

(3) Vide Suarez, *de Voluntario et Involuntario*, disp. 2, sect. 1, num. 8.

(4) Vide *Cosmolog.*, num. 346 seqq., a pag. 1167.